DISSERTATIO INAUGURALIS
Juris Privato-Publici
DE

COMMISSARIIS MILITARIBUS,

Von
Kriegs-Commissarien

Quam
Assistente DEO Ter Optimo Maximo
Jussu & Authoritate
Magnifici ac Amplissimi JCtorum
ORDINIS
In celeberrima Academia Tubingensi,
PRÆSIDE

DN. JOH. ANDRÆA FROMMANNO,
J. U. D. & Instit. Professore Publico,
Pro LICENTIA,
Summos in utroq; Jure Honores ac Privilegia
DOCTORALIA rite ac legitime consequendi
Publico Eruditorum
Examini submittit

FRIDERICUS PAULUS HOFMANNUS,
Noricus.

ad diem Maij,
Loco horisque solitis

TUBINGÆ,
Literis Iohannis Conradi Eitelij.

Anno O. R. MDCCIX.

DISSERTATIO INAUGURALIS
Juris Privato-Publici
DE
COMMISSARIIS MILITARIBUS,
Von
Kriegs-Commissarien
Quam
Assistente DEO Ter Optimo Maximo
Jussu & Authoritate
Magnifici ac Amplissimi JCtorum
ORDINIS
In celeberrima Academia Tubingensi,
PRÆSIDE
DN. JOH. ANDRÆA FROMMANNO,
J. U. D. & Instit. Professore Publico,
Pro LICENTIA,
Summos in utroq; Jure Honores ac Privilegia
DOCTORALIA rite ac legitime consequendi
Publico Eruditorum
Examini submittit
FRIDERICUS PAULUS HOFMANNUS,
Noricus.
ad diem Maij,
Loco horisque solitis
TUBINGÆ,
Literis Johannis Conradi Eitelij.

Anno O. R. MDCCIX.

PROOEMIUM.

Titulus quem ſequentes præ ſe ferunt paginæ eſt de Commiſsariis Militaribus, materia Inaugur. Diſſert. ſane haud indigna, cum in ea invenias, quæ utut quotidiana minus tn. trita ſua utilitate ſemet ſatis commendant. Nec n. reperias, qui ex profeſſo hoc thema ſibi tractandum propoſuerint, & quamvis de aliis ſpeciebus Commiſſariorum, nimirum Aulicorum, vulgo Hoff-Commißarien, Arbitrorum, aliorumque non pauci integros conſcripſerint tractatus, ab omnibus iis tamen hæc unica de Commiſſariis Militaribus intacta relicta, nec hactenus quantum quidem nobis conſtat, ejus natura atque indoles penitius indagata fuit; quam tamen brevioribus theſibus quibusdam delineare, dum plenam tractationem (quamvis mereatur;) pol-

liceri, neque temporis ratio, neque propositum meum permittit, ob insignem utilitatem atque frequentiam opera pretium esse duxi: Monentibus id Jure Consultis Paulo & Ulpiano l. 15. *ff. de liberatione legata* l. 6. §. 4, *ff. de precariis.* l. 15. §. 26. *ff. de injur: Quæ enim quotidiana sunt plenius esse attingenda: Quæq; naturaliter fiunt, ne neglecta videantur, speciali designanda tractatu. Quemadmodum, ut quæcunq; aliæ res in communis vitæ usum assumantur, ipsarum Commoditas facit, & quæ utilitatem adferunt, magni facimus, quæ vero ad nihil conducunt, contemnimus: Sic omnino & ad legalium capitum compensationem nos accommodare oportebit, ut quorum usus aliquis sit, qui bono quopiam Rempublicam beet, hæc necessario & ferantur, & honorentur, quorum vero usurpatio aut nullius momenti aut mala sit, harum non modo non ratio habeatur, sed etiam à legum corpore ejiciantur* Novell. Leon. XLVI. *Quod vero hoc potißimum argumentum loco Inauguralis Dissertationis proponendum suscipere*

re

re sustineam, causa in affectu erga Parentem meum, qui per multos jam annos in Illustrißima Republica Norimbergensi munere Comissarii Militaris functus est, & adhuc dum fungitur, cuiq; ita volenti promptißima voluntate filiali obsequio obtemperandum erat, quærenda est. Quamvis autem ad institutum hoc felicius peragendum exactiores forsan, meis requirantur profectus, memor tamen ejus, quod Mantica de conjectur. ult. voluntat. l. *6.* num *13. & ex eo Besoldus de Stylo Curiæ in proœmio dicit, facile ignoscendum esse ei, qui rariores materias discutit, pedem referre, neque volui neq; debui. Summus Ille JEHOVA, sub cujus auspiciis, post exantlata in utroque Jure Examina, cathedralem hunc discursum instituo, clementißime Vires largiatur, quo omnia feliciter cedant. Ne autem benevolum Lectorem lateat, qua ratione atque methodo tractaturus sim hanc in frontispicio designatam materiam, existimavi, necessum esse, ut hic apponeretur aspectus dissertationis.*

Aspectus Dissertationis Inauguralis.

*Cap.*1. *Repræsentat originem & Definitionem Commissarij Militaris.*
Cap. 2. *Adducit Divisiones Commissarij Militaris, nempe quod sit vel Generalis vel Specialis hicque vel Supremus vel subalternus.*
*Cap.*3. *Ostendit species quasdam Commissar. Militar.*
1. *Commissarius Lustrationum:* Muster-*Commissarien.*
2. *Annonæ, provisiones necessarias procurans* Proviant-*Commissarius,*
3. *Quæstor & Custos ærarij* Zahlungs *Commissarius.*
4. *Commissarius transiturorum qui nominantur* March-*Commissarij.*
Cap. 4. *Agit de iis qui constituunt Commissar. militares.*
Cap. 5 *Sistit personas habiles, quæ hoc munere funguntur.*
*Cap.*6 *Præ se fert officium Commissarij Militaris:*
Cap. 7 *Subjungit ea, quæ huic officio contraria sunt.*

CAPUT PRIMUM

***In Nomine Domini nostri JESU CHRISTI ad omnia consilia omnesque actus semper progredimur** l. 2. pr. C. de Offic Præfect. Præt. Afr.*

NUM. I.

HIstoriam Commissariorum militarium, vel potius illorum Originem consideraturis, haud difficile erit cognoscere, quod ab eo tempore, quo bella orta, etiam de iis insimul cogitatum

tum fuerit, quibus negotia gerendis bellis inservientia committerentur; quam necessariæ autem istiusmodi personæ sint, experientia tam clare testatur, ut plane supervacũm esset, multa de his hic loci præmittere, maxime cum reliqua hujus dissertationis capita ulteriori explicationi præbitura sint materiam: non sufficit n. milites conscribere, cumque iis aciem instruere, nisi quoque adsint, qui de militum alimentis & vestitu, iisdemque pendendis Stipendiis solliciti sint; ad primam enim quasi Legem Reipublicæ refertur annonæ Cura; Sicuti enim turpe est Patrifam., si uxorem liberos, famulos fame vexari sinat, ita & Principi, si Exercitui de annona non prospiciat; Nihil enim non cogitat jejunus miles, conspirationes meditatur, militiæ fit desertor & Imperii, reverentiam Duci debitam excutit. Perez. *ad t. de erog. milit. annon. C. num.* 1. & per difficile est ad carentem auribus ventrem, nec præcepta exaudientem verba facere. *Plut. in Caton.* imo tanta annonæ necessitas, ut sine ea, nec miles vincere, imo nec vivere possit Lipsius *in Polit l* 5.*c.*6.*n.*9. Cum vero hujus similisve rei cura & solicitudo prinicipaliter ad Principem pertineat Tac. *Ann. l.*4.*c.*6.*n.*7. Princeps vero solus tot ipsi incumbentibus negotiis sufficiens non sit; sed in partem Curarum administras personas ascilscere necesse habeat. vid. Dio. Cassium *hist. lib.* 51. add. Myler *in Hyparchol, c.* 1. §. 16. *n.* 33. *seqq.* inde militaris annonæ & quæ eidem annexa sunt, ut & reliquorum munerum bellicorum in lustratione militum eorundemque transitu occupatorum curam aliis officialibus demandare cogitur vid. *t t C. de erog. milit. annon.* Quibus vero hæc officia concredita sunt, militares Commissarios, formula loquendi moribus usitata, appellantur. vid. Besold. *in Thes. pract. voc.* Pfenningmeister. Bocer. *de Bell. c.* 7. *n.* 5. add. die *project. Execut.* Ordnung. *de Anno* 1678. t. 6.

Num.

Num. 2.

Summo ergo digito quasi tacta horum Origine ad definitionem eorum vel potius descriptionem accedentes, circa vocabulorum penitiorem Evolutionem, quæ alias Philosophiam non spernendam sapit, hic vero vel parum vel nihil conducit; nimis solliciti non erimus; Commissarii enim Vocabulum, in puriore latinitate haud adeo frequens, à verbo committere, quod & mandare & fidei alicujus credere & permittere significat *l.* 31. *ff. de recept. qui arbitr. l.* 16. *ff de Rei Vind. l.* 2. *ff. de his qui not. infam.* vid. Brisson. *de V. S. verbo committere*, ortum suum trahere, satis patescit, nomenque hoc utut alias latissime pateat, suoque ambitu omnes eos generaliter comprehendat, quibus negotia expedienda mandantur. Jacob de Aren. *in tract. de Commiss. in pr.* Ruland. *de Commiss. l.* 1. *c.* 2 *n.* 7. adeo ut non solum Legatos Cæsaris ad publica negotia perficienda vel lites privatorum sopiendas *l.* 5. *C. de Iudic.* deputatos, B Lauterb. *in Coll. Theor. Pr. tit. de jurisd. th.* 27. sed & à Judicibus delegatos ad examinandos testes & transumenda documenta probatoria, imo & Executores ultimarum Voluntatum eo nomine insignitos deprehendere liceat. Dn. Fresne *in Gloss. voc. Commissarius*. Speidel *in spec. ead. voc.* Almers. *in man. iur. voc. Commissio* add. Carol. Molin. *in Consuet. Paris.* § 6. *gl.* 6. *in verb. rendre conte*, hic tamen ad eum, cui annonæ maxime alteriusque rei militaris cura & solicitudo commissa est restringi ex appositione vocabuli militaris apparet. vid. Almers. *man. jur. cit. loc.* add. Perez *ad d. t. C. de erog milit. annon. n.* 3. Besold. *Th. pract. voce* Musterung.

Atque adeo cum usus hunc significatum, cui in nostra vernacula Kriegs-Commissarius æquipollet, indubie, prout subsequentia docebunt, admittat, operæ pretium

non

non erit, ut nimis scrupulose indagemus, unde factum, quod hoc nomen Commissarii in foro maxime frequentatum, & ad bellica officia tranlatum fuerit, (qui pluradе notatione voc. Commissariorum videre cupit adeat præter Ruland. *d. tr. de Commiss.* Bechmann. *in dissert. de Commissar. Imperiali in causis Iustit.* Joh. Wolff. Textor. *in tr. de Iudic. delegatis vel Commissariis.*

Num. 3.

Putamus vero, posse Commissarios Militares sequentem in modum describi, scil. quod sint personæ constitutæ à Majestate vel potestatem analogam habente, ad peragendum ea, quæ ad sustentationem armaturam, transitumque militum pertinent: Sive *Commissarii Militares* sunt personæ publicæ constitutæ à Superiore Jus Belli & Pacis habente, eum in finem, ut administrationem & curam rerum militarium habeant. Quæ descriptio & si definitioni philosophicæ forsan non satisfaciat, attamen ex illa natura atque conditio Commissariorum militarium satis, ut speramus elucescere poterit.

CAPUT SECUNDUM,

Num 1.

ABsoluta definitione vel potius descriptione Commissariorum militarium progressum facimus ad eorum divisionem: Dimetientes vero hujus materiæ tractationem ex usu maxime moderno, non anxie nimis inquirimus, quæ vel in Republica Romana Veteri inter hos qui curam rerum bellicarum annonæ scil. stipendiorumque, ut & lu-

strationis transitusque habuere, fuerit differentia. vid. Vinc. Contaren. *de frum. Rom. largit. c.* 8. *&* 9. Strauch. *in diss. de cent. lapid. urbic.* §. 11. *n.* 1. *& seqq.* Vel quod Veteres apud Germanos, de quibus pleraque incerta vel obscura ad nos devoluta sunt, inter dictas personas discrimen obtinuerit; offert autem semet ea maxime moribus obtinens divisio Commissariorum militarium, quæ dividuntur *in Generales & speciales*. Generalis Commissarius, qui communiter General-Kriegs-Commissarius dicitur, est qui reliquis omnibus Commissariis, quotquot in bello adsunt præest, & cujus mandato hi obedire tenentur, sola ipsis obsequii gloria relicta, quorum instructio eo quoque tendit, ut omnia ea stricte exigant, quæ ipsis à Commissario Generali Militari in mandatis dantur; Hicque solus cum Supremo Belli Duce, dem Generalissimo, cogitat, quidnam exercitui desit, & in quo illi prospici debeat; quo facto quemlibet specialem Commissariorum in eo instruit, quod militaris necessitas requirit atque postulat, arduum sane est hoc officium cui nemo præfici solet & debet, nisi qui omnibus iis sit instructus, quæ ad obeundum hoc munus illustrissimum maxime sunt necessaria; cum ex neglectu vel ex inscitia Commissarii Generalis Militaris facillime totus Exercitus premente rerum inopia & defectu ingens detrimentum pati possit. Quo munere summa cum laude olim functus est in Augustissimi Nostri LEOPOLDI castris Illustrissimus Dominus Comes Caraffa, cui non minori cum honore successit, & adhuc demandato sibi hoc officio egregie præest Illustrissimus Dominus Comes Breuner. Et ut nobis constat etiam in Exercitu Potentissimi Regis Borussiæ hodie summum locum Commissarii Generalis Militaris insigni cum Encomio tenet L. B. à Dankelmann. Nec minus &

aliis

aliis in Regnis hoc insigni munere vestitos, interdum tamen cum ea differentia, quod alii Commissarii Generales e. gr. Equestribus saltem copiis præficiantur, deprehendere licet. vid. das zwischen seiner Kayserl. Majest. und dem Königin Franckreich zu Basel den 2 Maji 1693 errichtete Cartel *art.* 16. Rarius autem hoc ipsum munus demandari solet, & exceptis Imperatoribus, Regibus & Electoribus, in Imperio vix ac ne vix quidem apud reliquos Imperii status, quam copioso numero exercitum etiam alere soleant, *Commissarij Generales Militares* in usu sunt. Specialis vero Commissarius is dicitur, cui saltem certæ rei ad militiam spectantis cura concredita est, inter quos tamen alii sunt supremi, alii subalterni; Supremi dicuntur, quibus rei militaris concreditæ cura principaliter incumbit, & dicuntur pro muneris diversitate, e. gr. Oberste Musterherren/ Ober-Commissarius, Supremi Lustrationum Præfecti. Rec. Imp. Ratisb. de An 1557. § 53. *General-*Proviant-Directores Oberste Proviant-Meister. Supremi annonæ militaris præfecti Fronsperg. *in artic. mil. l.* 3. *p.* 49. *b.* Obriste Pfenning- oder Zahlmeister Supremi Quæstores. *add. d. Recess. Imp. de Anno* 1557. §. 56. Neue Schwäbische Kriegs-Verordnung und Reglementen. *n* 20. *&* 25. *in Inscript.* Besold. *in Th. pr. voc.* Pfenningmeister. *in addit.* Subalterni vero dicuntur, qui supremis adjuncti, secundas curas subeunt, & à distincta muneris bellici administratione simpliciter. e. gr. Proviant-Commissarius. Neu Schwäbis. Krieg -Verordnung. *n.* 22. §. 4 Vel specialiter Kriegs-Commissarii appellantur. Quotuplices vero sint Commissarii speciales de quibus imposterum nostra tractatio occupata erit, necesse non est, ut prolixius hic deducamus, cum sequens caput tertium illos quoad potiorem partem recenseat.

CAPUT TERTIUM.

INter speciales Commissarios Militares primum locum occupat, à potiore officii parte ita dictus Commissarius Lustrationum sive Muster-Commissarius, Musterherr vid. *Rec. Imp. de Anno* 1598 *& de Anno* 1557. §. 18. vel Ober-Kriegs-Commissarius add. Neue Schwäbis. Kriegs-Verordnung *num.* 20. Cujus officium maxime in recensitione Exercitus & recognitione turmarum, militumque approbatione, nec non in indagatione defectuum rei militaris consistit.

Munus hoc in bello perquam necessarium esse nemo inficias ibit, qui modo penitius indolem Status bellici consideraverit; Sicuti enim certum est præcipuum decus & stabilimentum Reipublicæ militaris disciplinæ tenacissimum vinculum, ordinemque militiæ esse. Valer. Maximus *l* 2. *cap.* 7. *pr.* Lipsius *de milit. Rom. l.* 2. *dial.* 1. Romanumque Imperium non aliis artibus ad tantæ dominationis fastigium quondam pervenisse. Quintil. *in Milit. Marian. ubi dicit: Si vere æstimamus, imperium populi Romani ad hanc diem militari disciplina stetit; Non enim nobis multitudo major est, quam Cimbris aut majores opes quam locupletissimis Regnis, aut mortis contemtus facilior, quam plerisque Barbaris, causam vitæ non habentibus; Principes nos fecit Severitas Institutorum, ordo Militiæ, amor quidam laboris & quotidiana Exercitatione assidua belli meditatio*; ita non minus & certum est, omnia hæc diffluere, nisi delectus in milite legendo. Veget. *de re milit. l.* 1. *c.* 7. curaque in conservando numero, eodemque debitis armis instruendo & animando habeatur: Hanc curam autem Lustrationi, der Musterung / quam à sui potiore parte Romani etiam

reco-

recognitionem turmarum Suet. Tranq. in August. *c.* 38. probationem militum *l. pen. C. de re milit.* vel exercitationem tyronum nominant, variæ vero Gentes variis denominationibus exprimunt, authore hactenus laudato Fabio Maximo, (vid. plenius hæc adducentem Klock *in conf. tom.* 1. *cons.* 20 *num.* 37.) adhærere ex infra dicendis patebit; Jus hoc lustrandi. (vid. de antiquo ritu & modo lustrandi exercitum Liv. *lib.* 4. *p. m.* 100. Ciaccon. *in not. ad lib.* 4. Ant. Hirt. *de Bell. Gall l.* 8. *n.* 529.) seu probatoria militum, vid *l.* 9. *C. de divers. offic.* add. Ciceron. *l.* 15. *Ep.* 4. quæ occupata est circa inspectionem & explorationem aptitudinis collectorum militum, eorundemque numeri, olim in Republica Romana à Tribunis, qui singuli seorsim sedentes tribus sigillatim sortiebantur, & ex iis citabant, quos idoneos judicabant; Bocer. *de Bello c.* 7. *num.* 5. suscipiebatur *l.* 1. *C. qui militare poss.* ibi: *Offerte vos his, qui probandi jus habent.* Postmodum vero Imperator Zeno jus hoc probandi recipiendiq; militis soli Principi reservavit *l.* 17. *C. de re milit.* Neminem permittens in numero Equitum vel Peditum sine Principis probatoria sociari, quod illi soli conveniat, supplere vel implere numeros, non Ducibus aut Tribunis. Klock *de Contr. cap,* 3. *num.* 266. Perez. *ad t. C. de re milit. num.* 3. Brunn. *ad t. C. qui milit. poss.* Ex quo & nostro ævo jus lustrandi die Musterung/ quod & armilustrium vocant, Knich. *de Iur. Territor. c.* 3. *num.* 352. Juri Territoriali annexum est, & ab iis exercetur, quibus ista Majestati analoga Superioritas Territorialis competit. *Rec. Imp. Aug. de Anno* 1555. §. Nachdem aber. late Klock. *d. cons.* 20 *n.* 29. *seqq. & d. tr. de contr. c.* 3. *n.* 267. *seqq.* Tabor. *de metat. & Epidem. p.* 31. Bidenb. *in not. qu.* 7. *verb. cum portatio.* Besold. Wehner. Rudig. *in obs. Pr. voc.* Musterung add. Fritsch. *in sing. tr. de lustratione. c.* 2.

Cum vero & hic rursus solus Princeps vel cui similis potestas competit muneri huic vix par esse possit, hinc horum conniventia & voluntate ad Belli Duces & Commissarios Militares munus istud probandi milites, & ea, quæ huic annexa sunt, expediendi, hodie rursus delata est. Perez. *cit. loc* Bocer. *de bello d. c. 7. n 5.* Besold. *in th. pr. d. voc.* Musterung. Agnovere autem hujus officii necessitatem Imperator cum Statibus Imperii, dum in Rec. Imp. de Anno 1557. §. 54. de expeditione Turcica soliciti, in hæc verba erumpunt. Nachdem dann höchlich von-nöthen/ zu fürgenommener Expedition und Feldzug/ Kriegs-Räthe und Musterherren/ auch Zahl- oder Pfenningmeister zuordnen &c.

Ipsiusque actus lustratorii utilitatem & necessitatem, cum sine hoc Supremus Belli Dux de Exercitus justo numero certus esse non possit, nunquam non Belli moderatores agnoverunt; Suetonio enim teste *in Vita Augusti c.* 38. Augustus Equitum turmas frequenter recognovit; nec quisquam Imperatorum id facile omisit; idemque ut fieret Ordinat. Militares hodienum quoque passim Commissariis bellicis inculcant; sic cautum erat in Ordinatione Hybernali Regis Galliæ de Anno 1641. art. 7. & 13. quod illa sæpius & minimum semel in mense fieri debeat: & quidem quoad Generalem Lustrationem (intellige totius scil. exercitus, cui opponitur particularis, qua pars saltem lustratur) in præsentia Commissarii Militaris. Et notatu digna est illa Ordinatio, quam Rex Galliæ prima Februarii Anni millesimi sexcentesimi septuagesimi noni publicari jussit, prout eam Author Anonymus egregii tractatus: Franckreich durch seine eigene Künste zu überwinden / neben Vorstellung der Frantzösischen Kriegs- und Cammer-Wirthschafft; è gallico idiomate in

Ger-

Germanicum transtulit: & quantum ad præsentem scopum facit, ita concepta est; Nachdeme Ihro Königl Maj. betrachten/ wieviel dero Dienst daran gelegen seye/ daß die Musterung Ihrer Kriegs-Völcker auffs genaueste geschehen mögen / umb sowohl die Anzahl der Mannschafft bey jedem Troup verlässig zu wissen / als die Mißbrauche/ und Vortheilhafftigkeiten/ welche etwan bey deren Bezahlung vorbey gehen könten zu verhindern; als haben dieselben verordnet/ daß die bey dero Trouppen bestellte Kriegs-Commissarien die Musterung gedachter Trouppen hinfüro Zweymal deß Monats vornehmen sollen &c.. add. Außzug aus den Frantzösischen Kriegs-Ordinanzien de Anno 1651. den 4. Nov. §. 1. art. 7. ibi: Zu welchem Ende die darzu verordneten Commissarien von Monat zu Monat/ oder auch / wann es vonnöthen/ öffters mustern lassen sollen.

Utut vero in Germania lustratio juxta consuetudinem fere obtinentem tempore autumnali & vernali plerumque suscipi soleat, nihil ominus tamen & aliis temporibus rei necessitate id exigente suscipi posse, imo juxta nonnullorum statuum Ordinationes quoque debere, docet. die neue Schwäbische Kriegs-Verordnung. *num.* 20. §. 2. ibi: Hat Er ihm eifrigst angelegen seyn lassen/ daß die Musterung den Craiß und zugewandten Würtenbergischen Regimenter von Monat zu Monat/ oder wann Er auß erheblichen Verhinderungen solches besonders im Winter nicht monatlich thun könte/ so bald es immer möglich dem Musterungs Reglement gemäß vorgenommen werde add. *auth annot* über das Churfürstl. Brandenburgis. Kriegs-Recht. *tit.* 15. ubi ex Instructione Cæsarea & Confœderatorum de Anno 1626. art. 10. adducit. daß die Musterung offt vorgenommen werden soll. Apprime vero ea quæ de lustrationis sæpius reiterandæ utilitate & necessitate diximus,

mus, illustrat illud exemplum, quod supra citatus Author Anonymus ex vita Cardinalis Richelii summi Regis Galliarum Ministri, de deditione Urbis Rupeculæ quam obsidebat summe soliciti, deprompsit, quod nostro idiomate ita refert: Der Cardinal Richelieu sahe/ daß sich die Belagerung der Stadt Rochelle lang hinaus ziehen könte/ und hatte dahero Ursach zufürchten das Kriegsheer möchte auff Nachläßigkeit/ und Betrug der Befelchhaber zu sehr abnehmen und das Werck wegen der übermäßigen Unkosten endlich gar müssen auffgehoben werden / oder der übel bezahlte/ und zuviel strapezierte Soldat außreissen/ wie bey andern Belagerungen geschehen war / damit nun diesem übel abgeholffen würde/ gab der Cardinal Befelch die Völcker alle 8. Tag zumustern/ und stellete zu jedem Regiment einen Commissarium, welcher die Soldaten eigenhändig bezahlete/ und zusahe/ das keine Blinde mit durchgiengen. Solcher gestalt wuste der Cardinal von Wochen zu Wochen/ wie starck die Völcker waren/ und wurden nur die würcklich im Lager vorhandene bezahlt/ da es vor diesem bey dem Musterungen sehr viel Blinde gegeben/ und weit mehr Leuth/ als sich in der That befunden/ waren bezahlt worden: Er ließ auch denen Soldaten Kleider geben/ damit sie der Winter und Frühlings Kälte widerstehen könten/ und verschafften daß allezeit ein überfluß an Lebens-Mitteln im Lager war/ und der Landmann von dem Kriegsleuthen nicht beschwehret wurde.

Num. 2.

Commissarium Lustrationum excipit Commissarius Annonæ, dictus alias Proviant-Meister. Recess. Imper. de Anno 1532. §. 8. Proviantherr. Speidel. *in spec. voc.* Fürkauff. Proviant-Commissarius secundum nov. Ordin. bell. Suevic. Num. 22. §. 1. & prout Superiori placuerit cum

addi-

additamento ſublimioris Characteris. *General*-Proviant*s Commiſſarius*, *General*-Proviant*s Director*, Ober*s*Proviant*s Commiſſarius*. Hic proviſiones neceſſarias militibus procurat, & qua ratione commeatus adduci & quam commode diſtribui poſſit, proſpicit; vid. Beſold. *in Th. pr. voc.* Proviantmeiſter. Hujus autem officium pariter ab ipſa neceſſitate ſemet ſatis ſuperque commendat; haud ſufficit enim milites conſcribere, luſtrare, cumque iis aciem inſtruere, ſed in eo maxima cura habenda, qua ratione miles ſive peditatu ſive equitatu conſiſtat, neceſſario victu ſit alendus. Non enim Exercitus ſine frumento haberi poteſt, ait Pompejus in Epiſt. ad Senatum ap. Saluſt. *Hiſt. frag. l. 3.* Cum *Tacito teſte l. 4. h. n. 23.* ex inopia proditio, & fluxa ſervitiorum fides, ac fortuita belli metuenda ſint: & annona niſi antea condita, in neceſſitate remedium non habeat. Veget. *de re mil. l. 3. c. 3. pr.* add. *ſupr. c. 1. §. 3.* Hæc ergo in tempore paranda, ne milites ſive in agmine ſive in caſtris ſive alibi fuerint, egeant Lipſius Pol. *l. 5. c. 6. num.* 11. exemplo Metelli iis inſuper habitis, imo ſublatis, quæ non niſi ignaviæ vel luxuriæ adjumenta ſunt: Salluſti. *in Bell. Iugurth. n. 45.* Utut vero non apud omnes Gentes militibus ex Publico Annona ſuppeditata fuerit, & in ſpecie apud Veteres Francos obtinuerit, ut milites & de armis, veſtitu & commeatu propriis ſumtibus ſibimet proſpicerent, in eo tamen Superiorum provida cura, ut affatim in omnibus provinciis, per quas Exercitus ducebatur, adeſſet, & pro pretio juſto ſuppeditaretur, quantum ad expeditionem ſuſceptam peragendam neceſſarium erat, occupata fuit; quam ptoviſionem apud dictos Francos ad tres menſes fieri ſolitam fuiſſe Capitularium *lib. 3. c. 14.* docet, *ibi: ut ſecundum antiquam conſuetudinem præparatio ad hoſtem faciendaindicetur & obſervetur, id eſt victualia de Marcha ad*

tres menses & arma & vestimenta ad dimidium annum, quod tn. ita observare placuit, ut illis, qui de Rheno ad Ligerim pergunt de Ligeri in antea ad tres menses computentur, & qui de Ligeri ad Rhenum pergunt, de Rheno in antea ad tres menses victualia habere debeant. Dn. Stryk. *in diss. de milit. Imper. c.* 1. *th.* 7. Romani, qui nunquam non suis militibus annonam ex Publico exhibuisse videntur ex Dionysio Lipsius *de milit. Roman. l.* 5. *dialog.* 16, potiorem Regiminis partem in annonæ hujus militaris ut & civilis procuranda abundantia, eademque administranda posuerunt: Nec enim infimæ sortis hominibus, sed his quorum in rebus agendis singularis industria, virtus & experientia eminebant, munera hæc concredidere: Hinc splendido isti præfecturæ urbicæ muneri cura annonæ civilis rerumque venalium Pop. Romani annexa erat. *l.* 1. *C. de Praf. Ann.* Hujusque Præfecto plurimis negotiis distracto peculiaris Magistratus Præfectus Annonæ dictus, temporum necessitate ita exigente creatus est *d. t. C. de Praf. annon.* Pancirolll. *in notit. Imper. c.* 26. Qui ipse Præfecto urbi inferior, æquali tamen cum eo potestate rem annonariam curabat; Strauch. *de cent. lapid. urbic.* §. 11 *n.* 1. Brunn. *ad l.* 1. *C. de praf. urb.* Cujus officii eminentia vel ex eo apparet, quod Augustus hanc præfecturam quoque ambierit, Dio *lib.* 55. *& Anno V. R. C.* 731. obtinuerit. Contaran. *d. tr. de frument. Rom. largit. c.* 5. *p m.* 149. Cui muneri Ulpianum quoque Præfectum fuisse ex *l.* 4. *C. de contrah. & committ. stipulat. l.* 4. *C. locat.* elucescit Perez. *ad t. C. de apparit. Praf. annon.* quibusq; & porro demandatum fuerit docet Contar *cit. c.* 9. *per tot.* Utrique autem Præfecto tum Urbi tum Præfecto Annonæ certi apparitores à distinctis officiis urbicarii & annonarii *l.* 1. *C. de app. praf urb.* dicti, nec minus ipsi Præfecto annonæ in specie Præfectus vel Curator frumen-

menti, Distributor, Notarius, Allectus Tritico, Parochus omnes annonam præbentes suberant; Perez. *ad t. C. de Præfect. annon. n.* 2. ejusque Jurisdictio semet latet extendebat *l.* 26. *ff. de excus. tut.*

Quod annonam militarem attinet: non minus itidem eam à summis Viris administratam fuisse historia Romana docet. Iste enim quem supra nominavimus Præfectus urbi hanc quoque tractabat, eaque & ad Præfectum Prætorio pertinebat Valess. ad Amm. *l* 14. *p* 18. *&* 47. subque Imperatore Theodosio reliquisque Imperatoribus ad Justinianum huic militari annonæ, ejusque administrationi, quæ pastus primipili dicebatur, Primipilus, præponebatur *l.* 6. *C Theod. de cohortal.* ibi: *Primipilaribus, qui ad pascendos, milites solenniter ad limites destinantur*: *l.* 3. 7. *&* 8. *C de cohort.* Lipsius *de milit. Roman. l.* 2. *dial.* 8. *fere in fin. ubi simul differentiam inter Primipilum hunc & eum qui Comes primi ordinis & Præfectus decimæ legionis vocabatur adducit.* vid. tamen Cujac. *ad l.* 3. *C. de cohort.* Donell. *t. de pign. c.* 4. Perez. *cit. loc. C. de primip. n.* 1. *seq.* suscipiente partem curatam Præfecto Legionis juxta Veget. *de re milit. l.* 2. *c.* 9. Sic & ex LL. Wisigothorum *l.* 9. *t.* 2. *§.* 6. *&* 7. constat ad Comites Civitatum & annonariæ rei curam interdum quoq; pertinuisse, & apud dictas Gentes per singulas civitates, & castella annonarios (vid. *l.* 3 *C. Theod. de Numerar.*) *seu* ejusmodi officiales & Magistratus, qui militibus sine fraude annonam exhiberent, constitutos fuisse; Du Fresne *in Gloss. voc. annon.*

Procuratam vero annonam apud Romanos consignatam in manus susceptorum vel erogatorum & ab his militibus distributam fuisse, opinatoresque ad annonam debitam exigendam in Provincias missos fuisse ex *t. t. C. de erog. milit. ann. l.* 7. *C. de exact. trib.* constat Brunn. *ad*

d. t. de erog. mil. ann. Præterea vero, uti annonæ militatis ad conservationem vitæ necessariæ cura Præfecto Prætorio maxime concredita fuit, ita non minus vestes militares pari diligentia idem curabat vid. *l.* 1. *C. de vest. milit.* Hanc igitur rei frumentariæ provisionem noster Commissarius annonæ suscipit, cujus officii partes infra latius adducemus.

Num. 3.

Tertiam speciem commissariorum militarium constituit Quæstor seu Custos ærarii Castrensis, qui pariter more loquendi hodierno Commissarius, & ad distinctionem reliquorum commissariorum in nostra vernacula Zahlungs-Commissarius, item Zahlmeister. Vid. Ord. Nov. Suevic. N. 20. Pfenningmeister/ interdum cum additamento eminentioris tituli appellatur. vid. Recess. Imper. de Anno 1542. §. 28. *seqq.* Besold. *in Thes. pr. voc.* Pfenningmeister. Hic pecuniam ad bellum necessariam conquirit, conquisitam asservat & erogat: Quod hujus muneris necessitatem attinet, illam ipsius status militaris conditio evidenter satis extorquet: Non enim bellorum progressus in armis solum, sed in sumtibus & expensis, per quas efficaciora & utilia arma redduntur, consistunt. Thucyd. *l.* 1. *c.* 13. *num.* 20. Cæsarisque effato, duo sunt, quæ Principatus comparant, servant & augent, milites scil. & pecunia. Dio. *lib.* 42. Hæc enim motum, & animam bello addit, istiusq; alter quasi Spiritus dici meretur: Lipsius Pol. *l.* 5. *c.* 6. *n.* 6. *seqq.* Comparanda enim sunt arma cæteræque res necessariæ subministrandæ, ut & militibus stipendia exhibenda sunt, non enim uti antiquissimo tempore Romani privato sumtu semet alebant sineque stipendiis, militaverant, lecti non mercede conducti post Fest. Liv. Lipsius *de mil. Roman. l.* 5. *dial.* 16. Germanique veteres arma mili-

militiamque sine stipendio, contenti epulis largisq; ntut incomtis apparatibus, qui pro stipendio cedebant, sectabantur, Tacit. *de mor. Germ. c.* 14. *n.* 6. Gluver. *de German. antiq l.* 1. *c.* 47. *n.* 30. ita & hodie vel gratis militia suscipitur, vel sine stipendio tractatur; Mercede enim milites hodie plerumqte conducuntur, eâqne vitam suam venalem exponunt, mosque hic apud omnes fere Gentes nunc receptus est, ut publico ære militibus stipendia pendantur. vid. Recess. Imper. de Anno 1521. §. Item haben wir. ibi: Daß einem Reißigen in diesem Zug den Monath nicht über 10. Gulden auff ein Pferdt/ und einem Fußknecht nicht über 4 Rheinis. Gulden ꝛc Rec. Imp. Ratis 1557. §. Haben wir &c. De origine & augmentis stipendiorum apud Roman. vid. Lipsium *cit. loc.* Contar.] *de milit. Roman. stipend. per tot.* apud German. vid. post Pontan. Heuter. *lib.* 7. *fol.* 31. *Contin. Th. pr.* Besold. *voc.* Sold. Conring. *in diss. de milit. lecta, mercenar. & Soc.* §. 13. Dn. Stryk. *in diss. de milit. Imper. c* 4. §. 1. *seqq.* add. Burgold. *de not. Reip.* 3. *diss.* 2. §. 3. Omnibus his necessitatibus non aliunde remedium paratur, quam ex pecuniarum copia & subsidio, ex tributorum indictione colligendo: Venuste hanc subsidii necessitatem exprimit Imperator Justinianus *in Nov.* 149. *c.* 2. dum dicit: Impossibile est, ut sacris tributis, non illatis alioqui Respublica conservetur: Militares namque copiæ assignato sibi salario inde percepto hostibus resistunt, & collatores à barbarorum incursionibus & truculentia vindicant; denique agros & civitates à Latronum alioque modo incompositam vitam sectantium, ut & irruptionibus, agendis excubiis defendunt, ex illis etiam reliquæ cohortes ea, quæ ipsis attributa sunt accipiunt, muri & civitates indidem instaurantur &c. & *in Novell.* 8. *c.* 10. §. 2. Scientibus vobis nostris subje-

ctis, quia militares expensæ & hostium incursiones multa indigent diligentia, & non possunt extra pecunias hæc agi, causa videlicet nullam recipiente dilationem Perez. *ad t. de annon. & tribut. C. num.* 1. *seqq.* add. Recess. Imp. August. de Anno 1548. §. 94. de modo vero collectandi in Imperio vid. Bocer. *de collect. c.* 3 *seqq.* Myler. ab Ehrenb. *de Princ. & Stat. Imp. p.* 3. *c.* 97. §. 11. *seqq.* Dn. Stryk. *cit. diss. c.* 4. §. 5. *seqq.* Quam necessarium autem est sufficientem pecuniæ nervum bellicæ expeditioni destinare, tam necessarium est destinatum ex Tributis vel aliunde solicite conquirere, conquisitam asservare inque debitos usus erogare, munusque hoc perspectæ fidei hominibus concredere: facit huc de Recess. Imperii de Anno 1557. ibi: Nachdem dann höchlich vonnöthen zu fürgenommener expedition. und Feldzug/ ꝛc. Zahl-und Pfenningmeister zuordnen/ welche das erlegte Hülffgeld jederzeit bey denen bestimbten Legstätten erheben/ das Kriegsvolck ordentlich zahlen ꝛc. Apud Romanos itidem hujus officii partes Præfecto Prætorio demandatas fuisse, verisimile *ex l. ult. C. de suscept. præpos. & arcar.* redditur; cum receptæ pecuniæ à susceptoribus, arcariis tradebantur ab his arcæ, quæ Præfecti Prætorio erat, *l.* 6. *Cod. de exact. Tr. l. ult. Cod. de appar. præf. Prat. l.* 9. *Cod. Th. de indulg. deb.* vid Gothofr. *in not. ad t. C. de curs. publ. l. k.* inferebantur Perez *ad t. de suscept. & præp. num.* 1. postmodum vel ab actuario vel erogatore, militibus solatia seu stipendia exsolvebantur *l.* 16. *C. de erog ann. mil. & ibid.* Brunn. Nec infrequens moribus nostris est, ut idem, qui annonariæ rei curam subit simul & pecuniis in bellicos usus impendendis, præficiatur, utut quam plurimum munera hæc das Proviant-und Zahl-Ampt diversis personis separatim concredi soleat. vid. deß Schwäbis. Kreis Neu-Verordn. *n.* 23 *&* 25.

Num. 4.

Num 4.

Quarto & ultimo loco sequitur Commissarius Transiturorum: Marsch-Commissarius. vid. Frantzös. Kriegs-Ordnung *d.* 12. *Nov.* 1665. §. 12. item Land-Commissarii: item Begleitungs-Commissarii: Project. der neuen Executions-Ordnung. *c.* 6. Horum officium atque occupationes circa unum idemque objectum versantur, nempè in eo solicitudo eorum laboriosa cernitur, ut itinera militum rectâ non obliqua fiant via, & ultra modum præscriptum non extendantur, sed ex æquo & bono dirigantur, ne prægravationibus ansa detur! Quod hujus officii ducendi scil. reducendiq; milites vid. *l.* 35. *ff. ex quib. caus. maj.* necessitatem attinet ea ex indolis bellicæ, indispensabiliter translationem exercitus militumque de loco in locum, deposcentis, conditione deduci debet: Nec enim uni affixa sedi jacta belli alea hæret, sed ad instar flammæ inconstantis primo, quo ortum, solo, relicto remotiora æq; ac propinqua mirabili plane cursu peragrat ac tangit; Evocandi ergo milites ad extinguendum hoc commune incendiũ vid. *Inst. l.* 1. *t.* 7. *n.* 9. illucq; ducendi sunt, quo pericula eos vocant, vid omnimodo Dn. Stryk. *in Diss. de trans. milit. sect.* 1. *num.* 21. Egregiæque artis militaris est, celeri promtaque obviatione, ea quæ infesta nobis videbantur, pericula, reprimere: motus vero hic militaris sine transitu territoriorum, suscipi non potest juxta effatum Elector. Saxon, *in Th. Europ Tom.* 2. *p.* 298. Territoria vero quæ transeunda, sunt vel amica vel hostilia vel propria. Illa sicuti in salutato hospite, & prius quam venia impetrata modestius fuerit, non adeunda, multo minus vero decenter denegato transitu, nisi vel fundamentales alicujus Imperii Leges vid. Recess. Imper. de Anno 1548 § ferner zu noch mehrer. & de Anno 1559. §. dem zubegegnen. vel pacto-

ctorum initorum indoles aut inevitabilis necessitas id permittat vel urgeat, vi penetranda sunt, aut in materiam injuriarum, armis vel judicio vindicandarum denegatio ista trahenda est, (nam cum nec privatum agrum non rogato Domino eodemque contradicente transire permissum est *§. 12. I. de rer. div.* quanto magis Principi summa autoritate pollenti concessum erit, sub ratione publicæ tranquillitatis & utilitatis transitum ex multis causis sibi metuendum, & incommodum declinare; vid. *egregie de hoc. arg. disser.* Pufend. *de I. N. G. l. 3. c. 3. §. 5.* Gronov. *in not. ad Grot. l. 2. c. 2. §. 13. num. 1 seqq.* Muller. *de offic. trans. cum exerc. per alior. terr. in Proœm.* Dn. Stryk. *d. diss. m. 1. sect. 3. fer. per tot.* add. Thom. *in Iurispr. div. l. 2. c. 6. num. 35. seq.)* ita si per ea transitus humaniter concessus fuerit, non solum transeuntibus militibus ne necessariis, vitæ subsidiis egeant prospiciendum, sed & in id incumbendum erit, ne vel perniciosa tardioris transitus mora justis querelis, ansam, simulque occasionem, violentioribus remediis incommoda inde emergentia repellendi, præbeat, vid. Rec. Imp. de Anno 1555. §. So fern aber solches. *Cap. Leop. art. 13.* Quod Hostilia territoria, per quæ quilibet sibimet armis transitum parare solet & potest, attinet, utut licentius, in his victor exercitus commeare soleat, id tamen disciplinæ ordinisque militaris ratio exposcit, ne suscipiendæ expeditionis transitusque militaris celeritas objecta mora sufflaminetur & reservanda futuris necessitatibus copia, temere dissipetur; In propriis vero ejus, ad quem transeuns exercitus pertinet, territoriis, non minori solicitudine transitum militarem accelerandum eoque ipso incommoda huic ipsi annexa præcidenda esse, ea quæ pro salute publica invigilat ratio inculcat; Illud enim primum & maximum Reipublicæ statutum esse,

se,

se, ut inculpabiliter exercitus in itinere converſetur & innoxietas collatoribus cuſtodiatur jam olim Imperator Juſtin. *in Nov.* 130. credidit. *add. Rec.. Imp. de Anno* 1570. §. wir, R. I. 1598. §. Betreffend. Cura vero hæc, ut dictum noſtro Commiſſario tranſiturorum copiarumque in itinere ductori incumbit, atque adeo ejus officium, de quo infra pluribus agetur, ſua quoque tum utilitate tum neceſſitate ſemet itidem ſatis commendat: Sicuti vero in præcedentibus Commiſſariorum militarium ſpeciebus, ita & in hac ſuperioris arbitrium ſublimiori characteris additamento Officiales hos, conceſſo vel Ober-Land-Commiſſarii, vel Ober-Marck-Commiſſarii titulo, decorare ſolere, experientia edocemur.

CAPUT QUARTUM,

Num. I.

PErluſtratis potioribus, Commiſſariorum militarium ſpeciebus (nam ex diverſo & peculiari circa rem militarem curandam, concredito munere, alias, vel his affines vel ſubordinatas ſpecies & nomina fingi poſſe, quivis facile deprehendit) ordo poſtulat ut ad eos progrediamur, qui muneris hujus conferendi poteſtatem habent; Cum vero privata autoritate nemo ſibimet ipſi Magiſtratum aliudque officium publicum ſine Majeſtatis læſione aſſerere poſſit *l.* 2. *C. ad L. Iul. Maj.* ſed omne officium munusque publicum à ſumma poteſtate, tanquam à ſuo fonte derivetur *l.* 57. *ff. de re judic.* Arnis. *de Iur. Maj. l.* 2. *c* 4. *f.* 319. & poſt alios plures Myl. ab Ehrenb. *in hyparchol c.* 1. §. 6. *n* 12, *ſeqq.* exinde prono fluit alveo jus conſtituendi commiſſarios militares, eosque officio tali, quod rem mi-

litarem curat, præficiendi ad eos saltem pertinere, quibus istud bellum gerendi arbitrium, vi Majestatis vel potestatis eidem analogæ competit; vid. Grot. *lib.* 1. *c.* 3. *§.* 5. *n.* 7. ibique Ziegler. *in not.* Quo ipso excludimus à muneris hujus conferendi potestate eos, qui quidem violenter arma militesque cogendo, hisque per intermedias personas de necessariis subsidiis & apparatu prospiciendo, pertinaciter sineque ullo jure resistunt, vel injuriose insurgunt, (quod bello isti anomalo, seu civili & privato, quod ab inferiore & subdito adversus superiorem suscipitur & geritur, proprium esse solet:) Hoc enim uti omni jure damnatum est (nam constituta societate civili jus istud promiscuum resistendi natura alias licitum, ex penitiore ipsius nexus, quo Civitas continetur, & Majestas inviolabilis redditur, consideratione, omnimodo exulare ipseque pudor sacrilega arma excutere debet) imo ne quidem belli nomine cohonestandum venit, cum non tam in usu armorum & vi externa, quam potius in jure bellum consistat, & habeant licet subditi, Exercitus, & milites atque Imperatores se ferant, non tamen pro hostibus, sed latronibus sunt habendi ex Cicer. *Philipp.* 4. Ziegler. *ad Grot. l.* 1. *c.* 3. § 1, *num.* 1. add. *l.* 21. *in fin. ff. de capt. & postlim. reversis*, ita evidens satis est, nec ab his, qui contra Majestatem insurgunt eoque ipso crimini Rebellionis semet involvunt *l.* 1. *ff. ad L. Iul. Maj.* Magistratus & Officiales constitui posse, de facto vero constitutos legitimos non esse, potius vero ejusdem criminis Reos constitui. vid. Pufend. *de I. N. G. l.* 8. *c.* 6. § add. *l.* 1. *ff. ad L. Iul. Maj.* Porro cum potestatem constituendi ejusmodi officiales annexam esse ei potestati, quæ jus belli pacisque moderatur diximus, inde sequitur, quod Magistratus inferiores quibus Jus belli plane non competit Grot. *de I. B. & P. l.* 1.

c. 3.

c. 3. *§.* 5. necofficiales, rei militari præpositos, constituere queant, vel si constituant, hoc ipsum eos non nisi ex formula mandati & permissionis à superiore derivatæ, qui vel ipse vel per alios munera publica dispensat, expedire: Quibus omnibus conveniens est, olim delato ad Imperatores Romanos Imperio, cum jure bellum, (quod ex iis negotiis quibus universa civitas periculo involvi potest, præcipuum est,) gerendi *l. ult. C. ut armor. us. insc. l.* 3. *ff. ad L. Iul. Maj.* Gail. *l.* 1. *de pac. publ. c.* 4. *num.* 4. *seqq.* Tabor. *in armament. Iust. t. de arm. gest. c.* 2. *num.* 1. simul & potestatem Magistratus & Officiales bellicos constituendi transiisse; nemo enim sine hujus injussu vel bellum gerendi vel delectum militum habendi aut inconsulto eo armorum movendorum copiam habebat, *l.* 1. *ff. ad L. Iul. Maj. d. l.* 3. *ff. eod.* Bocer. *d. tr. de bell. c.* 3. *n.* 2. Grot. *d. tr. l.* 1. *c.* 3. *§.* 4. sic, ut supra *c.* 3. *n.* 1. adduximus, idem quoq; sibi jus probandi milites lectos reservabat *l.* 17. *C. de re mil. l.* 9. *C. de divers. off.* interdum tamen exercitium hujus juris aliis tribuebat. *l.* 1. *C. qui mil poss.* Prout in genere cura Magistratuum constituendorum ejus propria erat *l.* 1. *ff. ad L. Iul. de ambit.* instarque sacrilegii reputatum fuit, si quis hanc Imperii famulitio adjungendi potestatem, vid. *Nov.* 8. *in Epil.* in dubium vocare ausus fuerit: *l.* 3. *C de Crim. Sacri. l.* 5. *C. de Rescript.* Regner. Sixtin. *tr. de Regal. l.* 2. *c.* 2. *num.* 15. *num.* 3. vid. Limnæ. *de Iur. Publ. c.* 12. *num.* 39. Quod modernum Imperii nostri statum attinet, belli pacisque arbitrium non amplius soli Imperatori competere, sed & Statibus Imperii communicatum esse, & Pacta Imperii publica & ipsa experientia testatur: Sic enim licet, remotioribus seculis ab Imperatoribus Rom. Germanicis Procerum in Germania consensum in causis Jus Belli pacisque concernentibus

magis per modum consilii, quam ex quadam necessitate expetitum fuisse, id tamen jam pridem receptum in Imperio nostra dogma est, in bello Imperii universali decernendo & gerendo Imperatorem, nihil sine consensu statuum peragere posse, limites in hac, Majestati absolutæ alias annexa prærogativa, ponentibus mutuis inter Imperatorem & Status initis pactis & conventionibus, subsecutisque promissionibus Recess. Imp. Worm. de Anno 1495. *tit.* die Königliche Majestät. Recess. Imp. Spir. 1544. §. so achten wir. & 1567 §. so hätten wir. Capitul. omnes ab Imp. Car. V. usq; ad hæc tempora: vid. Cap. Leop. art. 13. 14. 16. Capit. Joseph. art. 13. & 15. add. *Instr. Pac. Osnabr. art.* 8. *§. gaudeant.* Limnæ. *ad Capit. Car. V. artic.* 11. Myler. ab Ehrenbach. *Archontol. cap.* 56. *Monzamb de Stat. Imper. German. c.* 5. *§.* 8. add. Dns. Kulpis. *in diss. de unit. Reip. cap.* 2. §. 16. *p.* 55. adeo quidem, ut nec in bello Imperii defensivo, si moram patiatur defensionis ratio vid. Capit. Leopold. art. 13, Ordinum Imperii beneplacitum & consensus negligendus sit. Excell. Dn. Schvved. *in Introd. ad Ius Publ. p. Spec. Sect.* 1. *c.* 26. *§.* 2. Dn. Stryk. *in diss. de mil. Imp. §.* 2. *seq. cap.* 2. Sicuti vero huic juri armorum annexa sunt jura sequelæ, Delectus, lustrationum, præsidii muniendi, Heerwagen / aliæque angariæ militares Capit. Joseph. *art.* 17. *in fin.* Pacif. Osnabr. *art.* 8. *§.* 2. ita non minus & in his consensus Ordinum, quantum ad bellum Imperii nomine gerendum attinet, desiderabitur; Coccej. *in Iurispr. Publ. c.* 23. *n.* 27. *seq.* & in genere horum suffragio & ipsam administrationem bellicam ordinandam esse, vel ex eo patet, quod non solum milites Imperialis militiæ, nomine Imperatoris & Imperii conscribantur Recess. Imper. Norimb. de Anno 1532. *§.* sollen solche Knechte. 11. Recess. Imper. de Anno, 1598. *§.* so viel

Kriegs-

Kriegs-Knecht ibi: In unserm und deß H. Röm. Reichs Nahmen werben/ hique Imperatoribus & Imperio, cujus in servitio esse dicuntur Fußknechts Bestallung zu Speyer. de Ao. 1570. art. 72. Juramentum quoq; præstant Rec. Imp. de Anno 1541. §. 55. Recess. Imp. de Anno 1530. § 120. Excell. Dn. Schvveder. *cit. p. spec. sect.* 1. *cap* 26. §. 3. Multz. *in Repræs. Maj. Imper. p.* 1. *c.* 21. *fol.* 233. *num.* 38. Sed & summi Ducis cui militia Imperialis subest officium. v. Reichs-Abschied. 1541. § 55. 56. & de Anno 1542. §. 23 *seq.* (nisi Status imperii sponte id ipsum Imperatori permittant Recess. Imperii de Anno 1541. § Und dieweil. ibi: Und dieweil uns Chur-Fürst/ Fürsten und gemeine Stände und der abwesenden Bottschafften unterthänigst heimgestellt/ zu obgemeldten Kriegsvolck einen Obrist gnädigst zuverordnen. &c. add. Recess. Imper. de Anno 1542. §. als nun aber) tam ab Imperatoris quam Statuum placito, quod & in casu quo Imperator illud ipse suscipit necessarium esse ex Rec. Imp. de Anno 1566. §. 51. apparet, dependeat late Dn. Stryk. *in diss. de mil. Imp. c.* 3. §. 2. *seqq.* Cocccj. *d. tr. c.* 23. *n.* 25. Ex quo sua sponte illud quoque fluit, quod & nostrorum Commissariorum militarium, circa militiam Imperialem occupatorum munus, quippe quod ob sui gravitatem singularem, non inter minima Reipublicæ officia reponendum, non solius Imperatoris, sed & reliquorum Statuum arbitrio & nutu dispensetur & transferatur vid. Recess. Imp. de Anno 1543 §. 24. Quod ipsum specialius insinuant Recess. Imper. de diversis nostrorum Commissariorum mil. officiis, mutua Imperatoris & Imperii conventione, conditi: Sic enim quod Commissarium lustrationis attinet, hunc communi Statuum consensu constitui disertis verbis pronuntiat. Recess. Imper. Ratisb. Anno 1557. §. 55. ibi: Nachdem dann höchlich

vonnöthen zu fürgenommener Expedition und Feldzug / Kriegs-Räthe und Muster-Herrn zu ordnen & §. 56. so seynd von wegen aller Ständen / deß Reichs / als den Chur-Fürsten Drey / der Stand deß Fürsten-Rath Vier / und der Frey- und Reichs Städt Einer / zu Musterherren und Kriegs-Räthen rc. zuvertretten und zuversehen geordnet. & §. 57. Und haben wir / sampt gemeiner Ständen / Räthen / Bottschafften und Gesandten einem jedem Kriegs-Rath / oder Musterherren monatlich N. zu ferner Besoldung und Stattgeld geordnet. item Receff. Imper. Spir. de Anno 1542. §. 27. ibi: Und dieweil sich die Chur-Fürsten und Stände zu uns versehen, daß wir einen Obersten **Musterherren** unterhalten werden / so haben wir vonnöthen geacht / jemand zu solchem Ampt annehmen zu lassen. add. Receff. Imp. Norimb. de Anno 1543. §. 31. ibi: Und damit solche Besatzung Verordnung und Bezahlung deß Kriegsvolcks offentlich beschehen möge / haben die Chur-Fürstl. Räthe / Fürsten und Stand und der abwesenden Bottschafften eine ansehnliche verständige Persohn zu gemeinen **Commissarien** fürzunehmen und zubestellen / für nutz und nothwendig angesehen / und zu Commissarien ernent und bestellt rc. Recess. Imp. Ratisb. de Anno 1598. §. 10. ibi: Dabey dann auch vor eine hohe nothdurfft erachtet worden / zu dieser mitleidentlich eingewilligten Geldhülff / mit einem sondern **Reichs-Muster**-Commissario versehen zu seyn rc. Derwegen der Stände Räthe / Bottschafften und Gesandten / sich zweyer Instrumenten verglichen / auff welche dieselbe zubestellen und anzunehmen seyn solten; utut vero Consiliariis Imperii bellicis officium Lustrandi sæpius communi Ordinum consensu simul concreditum fuerit, munus tamen Consiliarii Imperial.

bel-

bellici, de quo vid. Rec. Imp. Aug. de Anno 1541. §. 35. Recess. Imp. de Anno 1541. §. Demselben. de Anno 1557. §. so seynd. add. post Multz. Dn. Stryk. *cit. diss. c.* 3. §. 9. ab officio Commissarii Lustrationis sua natura distinctum & separatum esse vel ex solo Recess. Imp. Aug. de Anno 1566. § 52. ibi: So seynd von wegen der Chur-Fürsten und gemeiner Stände / zwar zu Musterherren und Kriegs-Räthen beede Ambter sämptlich zuvertretten / und zuversehen verordnet rc. elucescit.

Sic quod Commissarium annonæ militaris, ad sustentationem militiæ Imperialis destinatæ attinet & hunc pariter communi Statuum Imp. consensu præfici d. Rec. Imp. de Anno 1566. §. 59. docet, ibi: Alsdann die Chur-Fürsten und Stände / auch der abwesenden Räthe und Gesandten / bey unserm gnädigen erbieten Bestellung der Proviant betreffend / auß etlichen angeführten Anzeigungen / und stattlichen Bewegnussen / anlangens gethan / daß ein General-Proviantmeister rc disem Ambt vorgesetzet werden soll. & §. 60. So haben wir Uns mit Jhnen und Sie sich hinwieder mit Uns verglichen / daß es fürgenommener Anstallung deß Proviantmeisters halben also bleiben rc. solle.

Nec minus & Quæstoris, ærario militari Imp. præficiendi, munus authoritatemq; Imperatori & Statibus Imperii suam originem debere tum Rec. Imp. de ao. 1541. §. 40. ibi: Und damit gemeiner Stände Anlag / zu dieser eilenden Hülff bewilligt / zum förderlichsten / zusamen bracht werde / so haben gemeine Stände unsern und deß Reichs lieben getreuen Wolffgang Schutzpar / genannt Milchling Commenthur / zu Marpurg / Teutsches Orden / zu einem Pfenningmeister fürgenommen und gewidmet rc. tum Recess. Imp. Aug. de Anno 1566. §. 52. ibi: So seynd von wegen der Chur-Für-

